

- 3 Latinorum fuderunt et castra ceperunt Sed inter eos  
duo iuvenes candidis equis insigni virtute apparuerunt,  
quos dictator quaesitos, ut dignis muneribus honoraret,  
□ non reperit: Castorem et Pollucem ratus communi  
titulo dedicavit. 5
- 17 Lucius Quinctius Cincinnatus filium Caesonem  
petulantissimum abdicavit, qui et a censoribus notatus  
ad Volscos et Sabinos confugit, qui duce Cloelio  
Graccho bellum adversus Romanos gerebant et Q. Mi-  
□ nucium consulem in Algido monte cum exercitu ob- 10  
sidebant. Quinctius dictator dictus, ad quem missi  
legati nudum eum arantem trans Tiberim offenderunt;  
qui insignibus sumptis consulem obsidio liberavit.  
2 Quare a Minucio et eius exercitu corona aurea [et]  
3 obsidionali donatus est. Vicit hostes; ducem eorum 15  
in deditionem accepit et triumphi die ante currum  
4 egit. Sextodecimo die dictaturam, quam acceperat,  
5 deposuit et ad agricultum reversus est. Iterum post  
viginti annos dictator dictus Spurium Maelium regnum  
affectantem a Servilio Ahala magistro equitum occidi 20  
iussit; domum eius solo aequavit: unde locus [ille]  
Aequimelium dicitur.
- 18 Menenius Agrippa cognomento Lanatus dux  
2 electus adversus Sabinos de his triumphavit. Et cum  
populus a patribus secessisset, quod tributum et mili- 25  
tiam toleraret, nec revocari posset, Agrippa apud eum:  
*Olim, inquit, humani artus, cum ventrem otiosum cer-  
nerent, ab eo discordarunt et suum illi ministerium ne-*  
3 *gaverunt. Cum eo pacto et ipsi deficerent, intellexerunt*  
*ventrem acceptos cibos per omnia membra disserere et* 30